

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXXXVII. Continens Historiam, Quomodo Jesus Ad Zachaeum
Publicanorum Principem Divertit. Lucae. 19. Vers. 1.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

non confitebantur, ne ex synagoga eicerentur. Fuit fides verbo Christi obediens. Nam vocatus ad Christum ut adduceretur, non diu cunctatur, sed mox se adduci patitur, etiam per medium ignem transiturus si opus esset. Fuit fides in opere constans. Et si enim populus eum increpabat, & tacere jubebat: ipse tamen tanto plus non semel atque iterum, sed indefinenter clamabat, firmam per alens, futurum, ut exaudiretur. Cumque Christus opem ipsi contulisset, non deficit, ut novem leprosi, sed ipsum sequitur. Hæc dotes veræ fidei notemus ut jisdem studeamus. Nam in negotio fidei animus est obsirmandus, ne facile quis in tentationibus cedat, nec se Satana vel mundi molitionibus expugnari patiatur. Imò instar facis ardentis esse debet; quæ non ut candela à vento extinguitur, sed magis inflammatur.

Ad vocem ergo Christi cæcus *confestim visum recepit*, sed non rediit ad sedem mendicitatis suæ: Verum sicuti antea in petendo beneficio fidei suæ magnitudinem & constantiam commonstravit: ita nunc post acceptum beneficium gratitudinem suam declarat. Nam *sequebatur Jesum*: non suam fidem prædicans, quæ à Christo commendari audiverat: *sed glorificans Deum*, à quo hoc beneficium per Jesum profectum esse, ac proinde ipsi soli omnem gloriam attribuendam agnoscebat. *Quin & omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.* S Pharisei affuissent, pro more suo miraculum calumniati fuissent, & fortassis Beelzebub ascriptis-

sent. His absentibus, videmus plebem magis pie affectam esse, & Deo tribuere laudem, cujus virtute ipsi non dubitant Jesum hoc miraculum edidisse, si sæpenumero unicus calumniator totam multitudinem turbare potest: quibus remotis felicius procedit opus Domini.

Quidam ex hac historia cæci desumunt Allegoriam, non ineptam, quæ si quis delectatur, potest eam extendere, eaque per occasionem uti.

Cæcus iste designare potest totum genus humanum, quod cæcum est ob ignorantiam veritatis, & mendicum ob inopiam omnium virtutum. Sedit illud olim juxta viam, à Philosophis & mundi hujus doctoribus quærens stipem salutiferæ doctrinæ, sed eo ad salutem pasci non potuit. Christo ergo per viam hujus mundi transeunte, & ad Hiericho appropinquante, hoc est, defectum nostræ mortalitatis affumente, novum lumen generi humano exortum, eique visus restitutus est, per verbum Evangelii, ex quo concipimus constantem fidem in Jesum Christum & ardentem invocationem nominis ipsius. Licet autem illi qui præbant, quales fuere synagoga Judæorum & Phariseorum secta increpent, ut taceamus, nos tamen à concepta nostra in Christum fiducia nos dimoveri non patiamur, sic Christum sequemur in cælestem usque

Hierosolymam, ibique salvabimur.

CAPUT CXXXVII.

CONTINENS HISTORIAM, QUOMODO JESUS AD ZACHÆUM PUBLICANORUM PRINCIPEM DIVERTIT.

LUCÆ. 19. VERS. I.

RATIO ORDINIS.

HANC historiam præcedentem directe secutam esse non tantum ex Marco & Luca colligere licet: sed etiam si circumstantiæ considerentur, admodum convenienter se invicem sequuntur. Quod enim miraculum Christus in visu cæci restituendo corporaliter exercuit, illud jam in Zachæo convertendo spiritualiter agit. Est quoque utrobique magna similitudo. Illic cæcus visum à Christo recipere desiderans reprimitur à turba: Sed ipse hoc impedimentum superat intentione vocis & clamoris. Hic Zachæus Christum videre desiderans, etiam à turba, quæ pusillo viro prospectum denegabat, impeditur: sed & hic impedimentum superat conscendens in arborem. Illic cæcus cum vocis intentione declarasset desiderii sui magnitudinem jussus est à Domino ad se adduci. Hic cum Christus etiam videret desi-

derii ardorē in Zachæo, eum ad se advocat & pluribus cum ipso conversari cupit. Hic à Domino suscipitur & curatur mendicus: hic suscipitur & salvatur dives, ut intelligamus ipsum nullius fortis homines à gratia sua excludere: utque simul ostenderet apud Deum esse possibile, ut dives etiam ingrediatur in vitam æternam. Nam diviti superior, qui etiam princeps erat, & magno desiderio vitæ ad Christum accurrerat, sed amore divitiarum, quas ad Christi doctrinam volebat abjicere, tristis rursus discesserat: opponitur hic Zachæus, qui & ipse dives & princeps publicanorum fuit magno desiderio Christum videre curabat. Hic quidem nihil venderè jussus est, at sponte offert dimidiam opum suarum partem pauperibus, & injuria à se affectis quadruplum restituere promittit.

Sic apud Deum sunt possibilia, quæ apud homines sunt impossibilia.

ZACHÆUS

ZACHÆI CONVERSIO ET VOCATIO.

LUC. 19.

1. Καὶ εἰσέλθων διήρχετο τῆς ἱερικῶς.
2. Καὶ ἰδὼν ἀνθρώπον τινα καλεσμένον Ζαχαῖαν, ἕως αὐτοῦ ἀρχιερέως, καὶ ἕως τοῦ πλουτοῦ.
3. Καὶ ἐζητεῖ ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν, πρὸς δὲ καὶ σὺν ἡδύνατο δόξαι ὄχλῳ, ὅτι τῆς ἡλικίας μικρὸς ἦν.
4. Καὶ προσερχομένων αὐτοῦ εὐαγγελιστῶν ἀπέβη ἐπὶ σικομοῦραν, ἵνα ἰδῆ αὐτόν, ὅτι διέκείνης ἡμελλε διήρχεσθαι.
5. Καὶ ὡς ἦλθεν ἐπὶ τὸν τόπον, ἀναβλέψας ὁ Ἰησοῦς, εἶδεν αὐτόν, καὶ εἶπε πρὸς αὐτόν, Ζαχαῖε, σπεύρασ καταβῆθαι σήμερον ὅσον τῶ οἴκῳ, καὶ ἐγὼ με μείναι.
6. Καὶ σπεύρας κατέβη, καὶ ὑπέδηξεν αὐτὸν χαίρων.
7. Καὶ ἰδόντες ἅπαντες διεγόγγυον, λέγοντες, ὅτι πῶς ἀμαρτωλῶν ἀνδρῶν εἰσέλθῃ κατελεύσει.
8. Σταθεὶς ὁ Ζαχαῖος, εἶπε πρὸς τὸν κύριον, ἰδὲ, ὅτι ἡμῶν τῶν υπαρχόντων με κενεῖς, διδοὺ μοι τοὺς πτωχοῖς, καὶ ἐπιπέπῃ ἐν σικομοφάντῳ, ὅσο δόξαμι τετραπλῆν.
9. Εἶπε ὁ κύριος αὐτῷ, ἰδοὺ σήμερον σωθήσεται ὁ οἶκός σου, καθὼς καὶ αὐτὸς ἦν ἀβραάμ ἱδὼν.
10. Ἦλθε γὰρ ὁ κύριος τὸν ἀνθρώπον ζητῆσαι καὶ σώσαι τὸν ἀπολωλός.

1. Et ingressus perambulabat Hiericho.
2. Et ecce vir nomine Zachæus, atque is princeps erat publicanorum, & idem erat dives,
3. Et quarebat videre Jesum, quis esset, nec poterat præcurba, quod statura pusillus esset.
4. Et præcurrens ascendit in arborem sycamorum, ut videret eum, nam illac erat transturus.
5. Et cum venisset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, dixitque ad eum, Zachæe festinans descende, nam hodie domi tue oportet me manere.
6. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.
7. Cumque viderent omnes, murmurabant dicentes, quod ingressus esset apud hominem peccatorem diversaturus.
8. Stans autem Zachæus, dixit ad Dominum, Ecce dimidium honorum meorum Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.
9. Dixit vero ad eum Jesus, Hodie salus domui huic contigit, eo quod & ipse filius Abraham est.
10. Venit enim filius hominis querere & servare, quod perierat.

Periocha hujus Historia.

Christum Jesum in hac ultima sua profectio-
ne urbem Hierichuntem non tantum in-
gressum esse, sed etiam perambulasse, Marcus &
Lucas testantur. Perambulavit autem non eo mo-
do quo otiosi viatores vicos & plateas celebri-
orum civitatum spectandi causa pervagantur: sed
per mediam civitatem pertransiit iter suum Hier-
osolymam versus susceptum persequitur. Hier-
icho autem fuerat olim urbs splendida, magna
& populosa, sita in regione campestri & pinguis-
sima. Proveniebat ibi balsamum, quod alias nul-
libi nascebatur: abundabat rosetis & palmetis,
unde & civitas palmarum dicta fuit. Sed fuit ea-
dem hæc civitas maledictioni singulariter subje-
cta. Postquam enim Josua dux Israelitici populi
illam cum arca Domini circumisset, & muri clangore
tubarum sacerdotium corruissent, ipse cum
populo ingressus, omnia ferro flammaque vasta-
vit, civitatem anathema fecit, ejusque reedifica-
tori maledixit, ut in primogenito suo fundamen-
ta illius jaciatur, & in novissimo liberorum portas e-
jus ponat. Sicuti Josua 6. proluxe hæc leguntur Et
tamen inventus est Hiel de Bethel, ex tribu Eph-
raim, qui temporibus impii Achabi eam in-
staurare ausus est. 1. Reg. 16. v. 34. Sed maledictio
Josua in eo impleta est. Nam dum fundamenta
ponit, moritur ejus primitivus Abiram, postea
reliqui ordine, donec in constitutione portarum
moriebatur ultimus Segubus. Tempore belli Hier-
osolymitani rursus destructa est hæc civitas à
Vespasiano ob perfidiam civium, postea ab A-
driano rursus instaurata: atque sic duravit ad Hier-
ichonem usque tempora: inde sic decrevit, ut vix
villa nomine digna fuerit. Usque adeò dira res est
maledictio, ut non immerito ipse locus piis odio-
sus esse potuerit. Veruntamen Christus in hac
maledicta civitate satis uberem invenit messem,
non tantum quo ad cæcos & pauperes, sed etiam
quo ad divitem publicanum, qui Ecclesie ipsius
membra facta sunt. Ipse enim propterea in mun-
dum venit, ut sublata maledictione legis propter
peccatum benedictionis filios nos faceret. Disca-
mus igitur in Christo Jesu nullum locum esse in-
famem, modo possit Evangelium & fidem admit-
tere. Ideò rectè Paulus Rom. 10. v. 12. ad Galat. 3.
v. 28. & Coloss. 3. v. 11. asseverat in Christo Jesu
nullam esse distinctionem Judæi & Græci, bar-
bari & Schyta, servi & liberi: sed omnia in omni-
bus esse Christum. Ita Samaria Judæis habitata est
impia, & propemodum ipsis Ethnicis pejor, mul-
tos tamen Christo dedit fideles. Non tantum Joh.
4. v. 40. ex oppido Sichar: item leprosum Sama-
ritanum Luc. 17. v. 16. Qui gratitudine Judæos su-
peravit: sed etiam in eo, quod ex Samaria ortus est,
præter alios, Justinus Martyr, qui Christi nego-
tium & scriptis & sanguine tutatus est. In veteri
quoque Testamento Hiericho nobilitata fuit ha-
bitatione & miraculo Prophetæ Helisæi. Cum vi-
ri illius civitatis ipsi conquirerentur 2. Reg. 2. v.
19. civitatis quidem habitationem esse optimam,
sed aquas pessimas & steriles, ipse eas immisso sale
sanavit, & totam regionem fertilem reddidit. A-
pud illum fontem Helisæi scribunt crescere arbo-
res instar prunorum spinosas tamen, in quibus
flores

ronymi usque tempora: inde sic decrevit, ut vix
villa nomine digna fuerit. Usque adeò dira res est
maledictio, ut non immerito ipse locus piis odio-
sus esse potuerit. Veruntamen Christus in hac
maledicta civitate satis uberem invenit messem,
non tantum quo ad cæcos & pauperes, sed etiam
quo ad divitem publicanum, qui Ecclesie ipsius
membra facta sunt. Ipse enim propterea in mun-
dum venit, ut sublata maledictione legis propter
peccatum benedictionis filios nos faceret. Disca-
mus igitur in Christo Jesu nullum locum esse in-
famem, modo possit Evangelium & fidem admit-
tere. Ideò rectè Paulus Rom. 10. v. 12. ad Galat. 3.
v. 28. & Coloss. 3. v. 11. asseverat in Christo Jesu
nullam esse distinctionem Judæi & Græci, bar-
bari & Schyta, servi & liberi: sed omnia in omni-
bus esse Christum. Ita Samaria Judæis habitata est
impia, & propemodum ipsis Ethnicis pejor, mul-
tos tamen Christo dedit fideles. Non tantum Joh.
4. v. 40. ex oppido Sichar: item leprosum Sama-
ritanum Luc. 17. v. 16. Qui gratitudine Judæos su-
peravit: sed etiam in eo, quod ex Samaria ortus est,
præter alios, Justinus Martyr, qui Christi nego-
tium & scriptis & sanguine tutatus est. In veteri
quoque Testamento Hiericho nobilitata fuit ha-
bitatione & miraculo Prophetæ Helisæi. Cum vi-
ri illius civitatis ipsi conquirerentur 2. Reg. 2. v.
19. civitatis quidem habitationem esse optimam,
sed aquas pessimas & steriles, ipse eas immisso sale
sanavit, & totam regionem fertilem reddidit. A-
pud illum fontem Helisæi scribunt crescere arbo-
res instar prunorum spinosas tamen, in quibus
flores

flores nascuntur, quas vulgus Hierichuntinas rosas appellare solet. Hæ rosæ, nocte natalitia servatoris paulatim hiant, & postea se recludunt, licet siccæ sint & aridæ. Unde hic effectus sit, Deus novit: quidam putant in testimonium virginei parus hoc fieri. Sed nos id suo relinquimus loco.

In hac maledicta civitate ecce invenit Christus unum discipulum Zachæum nomine. Nomen per se bonum est. Nam Zachæus Græcis sonat ἀνάκον simplicem, purum & bonum. At talis hic Zachæus hæctenus non fuit, ut qui ipse postea fraudes & rapinas suas fateatur, & populus agrè ferat, quod Christus ad talem publicum peccatorem divertat. Ergo nomen hucusque suum ἀντιφάσιως gessit, ut qui Zachæus sive simplex dictus fuerit, quali minimè erat simplex. Sed imposterum corrigit. Ergo quisque viderit, ne vitia sua honesti nominis titulo velet: Sed si honesto nomine ornatus sit, illud etiam pietate amplius exornet. Exprimatur etiam hujus Zachæi professio & dignitas, erat enim princeps publicanorum. De publicanorum statu & religione hæctenus sæpe in Evangelio dictum est. Fuit is status apud Judæos per se exostus, eo quod Romanis operam suam locarent in exigendis vectigalibus & tributis, atque sic patriæ libertatis oppressores videbantur: Cui postea accessit, quod non contenti eo, quod Romani à viatoribus, mercibus & aliis, vectigalis & tributi loco exigi mandarunt, ipsi insuper plura exigebant, quod in suum lucrum reservabant. Populo Judaico duplici nomine onerosi. Ideo Joannes Baptista Luc. 3. v. 13. cum à publicanis interrogaretur. Quid ipsi facere debeant, ut Deo reconcilientur, dixit: Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, accipiatis. In hoc ordine Zachæus fuit princeps, hoc est, præfectus multis aliis qui circa Jordanis trajectus ad exigenda vectigalia fuerunt constituti: Unde colligere licet hominem non ita fuisse simplicem, cum inter publicanos ita emergere potuerit.

Inter mercatores multi sunt, qui functioni suæ satisfacere possunt, sed sunt plebæi, at coryphæum esse inter mercatores requirit experientiam & dexteritatem. Additur etiam ipsius fortuna: *Et idem erat dives.* Unde vero hæc divitiæ? Potuit eas habere ex patrimonio, propterea ipse postea dicit τὰ ἡμισὴν πωραχόρων μὲν, dimidium bonorum meorum: sed hinc non omnia habuit, verum ex professione sua, ex vectigalibus & tributis sine conscientia ab hominibus peregrinis expressis. Huic viro incessit desiderium videndi Jesum, illudque non vulgare: *quarebat Jesum videre, quis esset.* Admiratur famam Jesu: idcirco hominem de facie videre & novisse cupit. Nam de alloquio & conversatione nihil sperare potuit, cum se publicanum & peccatorem tam sancti viri congressu indignum judicet. Hic certè non fuit vulgaris sancti Spiritus impulsus, absque quo si fuisset hic talis vir, quem & vitæ genus & fortunæ indulgentia impellere poterant, ut humilem Jesum sperneret, nunquam in tam ardens & pium videndi Jesum desiderium, ex quo postea totus mutatus est, pervenisset. Quicumque igitur Spiritus sancti motum aliquem sentit, ille reverenter eum habeat. Nam ex levi aliqua scintilla magnam faciem fidei is accendere potest, Zachæum ex fama

incessit desiderium videndi: huic quæsita occasione postea offert se Christus hospitem: tandem sequitur salus ipsius, & totius domus.

Huic tanto desiderio Zachæi videndi Jesum objicitur impedimentum quod à turba undique circumfusa ipsum videre non poterat. Ratio additur: *ὅτι τῆ ἡλικία μικρὸς ἔω, quoniam statura pusillus esset.* Facile enim fieri potest, ut pusiones à longioribus circumcincti, nihil omnino videre possint. Sed hic apud Zachæum accessit solertia, qua defectum corporis, ingenii dotibus compensavit. Sicuti sæpenumero magna in parvo regnat corpore virtus. Oblitus ergo & suæ dignitatis, & suarum divitiarum, tanquam infimæ sortis homo præcurrens ascendit arborem Sycomorum, ut videret eum. Nam illac erat transiturus. Facile divinare potuit, quod omnes qui hoc visuri essent, illum essent irrifuri, quod ipse, homo primarius & dives, puerorum instar, arborem conscenderet, ex qua transeuntem videre posset. Sed amor & desiderium videndi Jesum, & inprimis impetus Spiritus sancti, ruborem hunc omnem absterfit. De arbore συκομορῶν, seu sycomoro, non videtur operæ pretiū multa disserere cum nostris hominibus, sive sit ficus Ægyptia, sive sit alia arbor penitus ignota. Dioscorides scribit cap. 167. hanc solum in Ægypto nasci, & esse arborem excellam, folia habens familia moro, fructus autem profereus similes ficu, nisi quod eos proferat sine granis, non in ramis, sed ex ipso caudice non maturiscentes, nisi aut unguibus aut ferro scilicet palpantur. An vero in sola Ægypto hæc arbor nascatur, de eo quis dubitare possit: cum Scriptura testetur Salomonem Hierosolymis præbuisse tantam multitudinem, quasi sycomoros quæ nascuntur in campestribus, 1. Reg. 10. v. 27. Et quando Amos dicit cap. 7. v. 14. Ego sum armentarius vellicans sycomoros, innuit, hanc arborem in Palestina admodum esse vulgarem, nec tantum in Ægypto provenire. Sed ad rem.

II. Jam ex vocatione Zachæi manifestum evadet, quam felix, fortunatusque fuerit ipsius conatus. Quæsivit occasionem videndi Jesum, eam feliciter consecutus est, juxta illud Christi Matth. 7. v. 7. Quærite, & invenietis. Zachæus quæsivit & invenit pretiosam margaritam. Nam postquam Jesus venit ad illam arborem, suspiciens vidit illum. Vidit illum non corporali tantum aspectu, sed tali qui ubivis fuit salutaris. Nec tantum vidit illum, sed etiam alloquio suo dignatur, proprio nomine eum compellens quasi familiariter notum. Nam proprias oves vocat nominatim Joh. 10. v. 3. Zachæus festinans descende, nam hodie domi tue oportet me manere. Res mira, legimus sane in Evangelio, Dominum ab aliis invitatum, eos accessisse, sed quod ultro ad convivium se ingesserit, nusquam legimus, quam apud hunc principem publicanorum. Sic fides semper plus impetrat, quam optarit, Zachæus Jesum tantum videre cupit: jam sortitur eum hospitem, Matth. 9. v. 2. paralyticus quærit sanitatem & impetrat insuper remissionem peccatorum. Ex his omnibus conspicua fit inenarrabilis φιλανθρωπία & benignitas Jesu Christi, quod non simpliciter publicani, sed principis publicanorum, hospitio ultro se obtulit, à cuius consortio Pharisei & Scribæ vel maximè ab-

mē abhorrebant. Requirit autem Christus *festinationem*, ut omnibus de ejus promptitudine & fidei dono constet. Nisi enim verbis Christi fidem habuisset, nunquam Jesu fores suarum aditum patefecisset. Dicit autem: *oportet me hodie in domo tua manere*, non quasi in tam ampla civitate nullum aliud hospitium invenire potuisset: sed hoc quasi prætexit Christus, ut occasionem haberet animam ipsius & salutem quaerendi. Et vult non tantum apud ipsum hospitari & pernoctare: sed etiam in domo ejus manere. Quod apud Zachæum factum est per fidem. Nam per fidem Christus habitat in cordibus nostris, Eph. 3. v. 17. Quisque igitur mediis illis utatur, quibus Christus mansionem apud eum faciat. Zachæus hæc audiens *festinans de arbore descendit, & gaudens illum excepit*. Nihil respondit. Nam in speratum gaudium læpius vocem præcludit. Re autem ipsa & gestibus declarat, sibi hoc hospite nihil gratius accidere posse. Quemadmodum igitur Deus hilarem datorem diligit. 2. Cor. 9. v. 7. etiam Christus hilarem sectatorem amat, atque sic in hospitium Zachæi ingreditur.

III. Audiendum etiam quid dixerit & fecerint rei hujus spectatores. Paulo ante cum Hierichunta ingrederetur, omnis turba dedit laudem. Deo ob beneficium visus, quo cæcum mendicum affecit. Nunc omnes murmurant, eo quod ingressus esset apud hominem peccatorem hospitaturus, idque in eum finem, ut salutem domui ipsius afferret. Quid in hoc mali facit Christus, quod murmurare sit dignum? Imò cum animam ex perditione eripere majus beneficium sit quam cæco visum restituere: hic majorem laudem Deo tribuere debuissent. Sed hæc est magna pars corruptionis nostræ, quod carnalia Christi beneficia semper majoris æstimamus, quam spiritualia: quia carnales sumus plus, quam spiritualia. Fortassis etiam ex civitate intervenerunt Scribæ & Pharisei, qui huic murmurum in turba occasionem dederunt. Murmurant quod Christus diverteret apud hominem peccatorem, quod traditione Phariseorum prohibitum erat. At considerare debuissent, antehac quidem, eum talem fuisse: Sed jam Deum cor ejus mutasse, quod cum pœnitens & fide in Christum ardens Christus *καὶ δὲ νόστος* videat, ipsi tam temere non debuissent judicare: Sæpius enim ex Christo audiverunt, quod non converteretur cum publicanis & peccatoribus, ut illos in malitia sua confirmet, sed ut eos ad resipiscentiam vocet. Quapropter nullam omnino causam habuerunt isti corrupti iudicii homines contra Christum murmurandi.

Zachæus hæc vulgi murmurationes nihil moratus *σαβεις* sibi sese Christo, eique qualiter conversionem suam instituere velit, indicat, auditurus, an Christus cum ipsius proposito contentus esse possit, an ultra quid requirere velit. Initio autem ingenue & aperte fatetur, se hactenus magnum peccatorem fuisse. Ideo dicit *εἰ τὸς ἢ ἐσὺ καὶ φέρωνος*, si quid aliquem dolose defraudavi. Nam Sycophantæ semper male audierant, & pro dolo mendacibus & fraudulentis habiti sunt. Vocabulum hinc originem habere volunt. E duobus servis Græci cujusdam viri, alter ficus, quæ domi paratæ erant, absumserat, alter, quis eas abstulisset, ignorabat. Quærente eas Domino sors innocentem acculabat. Herus, ut veritatem exploraret, haurire subtepidam aquam utrumque iussit, deinde evomere. Ibi malitia & dolus alterius servi manifestatus est. Et tunc primo sycophantæ vocabulum ortum: eo ita appellato qui ficos devoraverat, culpamque in innocentem cavillando ac mentiando conjecerat. Hoc vocabulo Zachæus hic utitur, atque sic fatetur se dolose & fraudulenter cum proximo egisse, sicque Deum offendisse. Idem verò se hoc nomine pœnitere indicat, & ut quam veram & seriam suam pœnitentiam sit, ostendat, vult eam ex fructibus cognosci. *Dimidium bonorum meorum do*, addico, confecro & deputo pauperibus, ab hoc tempore. Nam quod antea hoc facere inceperit, ut quidam opinantur, verisimile non est, & ex circumstantiis historiae desumi non potest. Hæc autem bona ipsi vel ex honesto lucro obvenisse credibile est. Alias enim si vel ex furto vel rapinis elemosinas pauperibus dare voluisset, illæ Christo nequaquam gratæ fuissent; si quem verò defraudasset, dicit: *reddo quadruplum*. Agnoscat enim quæ per sycophantiam quis alteri aufert, ea furti speciem habeant. Sic Deus Exodi 22. v. 1. pro ove furto ablata & macata, quadruplum requirit: sed v. 4. mitigat, si vivens adhuc reperitur, ut tantum duplum restituat. Sed Zachæus ultro quadruplum offert, ut sic seriam suam pœnitentiam commonstret. Ex hoc exemplo discere debemus, quæ sit natura vera pœnitentiæ. Non pudet eum lapsus & peccata sua agnoscere & confiteri, & si quem offendit, ad restitutionem & reconciliationem se ultro offert (sic enim juxta Augustini dictum Epist. 54. ad Macedonium, peccatum non remitti nisi ablatum restituatur) & denique expectat, ecquid Christus ulterius in verbo suo injungere velit. Hic jam *camelus* depositus mandanarum divitiarum sarcinis incipit per foramen acus transire: & sunt possibile Deo, quæ impossibilia fuissent hominibus.

Quid igitur Christus ad hanc ingenuam Zachæi confessionem, elemosynarum & restitutionis oblationem? Annunciat ipsi consolationem, qua fide apprehendit benedictionem Abraham, Rom. 4. v. 3. & Gal. 3. v. 9. unde provenit salus. Hæc autem dependet ex Messia, qui solus peccatores solvat. Ideo dicit Jesus. *Hodie salus Domui huic contigit, eo quod & ipse filius Abraham est*. Occurrit simul his verbis indignantium murmurationi, quam ipsis indignam esse ostendit, cum ejusdem generis & gentis homines confratribus invidere non debeant, si per Dei gratiam convertantur & resipiscant. *Est & ipse filius Abraham*, non minus quam Pharisei. Scribæ, & vos omnes circumstantes, cur igitur hoc nomine vel mihi vel ipsi indignari vultis, quod ego eum ad resipiscentiam quaero, & ipse ultro ad eam sese offert? D. Chrysolomus & post eum multi alii, existimavit hunc Zachæum origine fuisse gentilem: hic autem vocari *filium Abraham*, propter fidem, juxta illud Rom. 9. v. 8. Ubi filii promissionis æstimantur in semine. Sed hoc non est verisimile. Nam hactenus conversationem gentilium vitavit, ne Judæis calumniandi occasionem præberet, & ut confirmaret id quod aliquoties dixerat, se missum esse

Ccccc esse

esse ad perditas oves Israelis. Et quis dubitabit, si ita fuisset, Judæos multo plus tumultuatos fuisset, ut qui non tantum ad hominem peccatorem, sed etiam ad hominem præputium habentem divertisset. Neque sequitur, Zachæus fuit publicanus à Romanis constitutus. Ergo ipse fuit quoque Romanus: Nam hæcenus ex Evangelio sapissimè cognovimus, ipsos etiam Judæos ad hoc munus se conduci passos fuisse: unde tanto acerbior odio contribules eorum ipsos persecuti sunt.

Quod dicit, *domui salutem contigisse*, in eo Christus respexit eo, quod vel Zachæus totam suam familiam conversurus esset, sicuti id regulus, centurio, Cornelius, & alii fecerunt, vel quod domus ipsius jam magna ex parte fidelis facta fuerit, Nam & juxta Græcæ linguæ proprietatem ipsa domus filia Abrahæ dici potest οἶκος υἱὸς τῆς Ἀβραάμ. domui salus contigit: quia filia Abrahæ est, à Christo jam deposita, in γοθεσίᾳ Dei.

Addit denique Christus: *venit enim filius hominis querere & servare quod perierat*. Hic reddit Christus rationem ex sua parte, quare ad Zachæum diverterit, non quod peccatorem in peccatis confirmare, sed potius eum conversum ad salutem adducere velit. Adducit igitur argumentum à suo officio, quo etiam Marc. 2. v. 17. Luc. 5. v. 31. Matt. 9. v. 12. utitur. Ut enim Medicus cum ægrotis rectè versatur, quo eos sanet: ita Redemptor cum his qui redemptione indigent. Complectitur autem Christus in hoc suo redemptionis officio duo: *ζητῆσαι καὶ σώσει τὸ ἀπολωλὸς*, & *querere & servare quod perierat*. Prius est diligentia: posterius est potentia: Utrumque est singularis *φιλανθρωπίας*, qua Christus usus est hic erga Zachæum, & alias erga omnes miseros mortales. Sic Christus reddit facti sui rationem, quare ad peccatorem diverterit: quia scilicet propter peccatores in mundum venerit. Primus enim Christi in mundum adventus non est pro justis, sed peccatoribus, secundus futurus est ad iudicium & peccatoribus & justis.

Tandem ne hoc prætermittendum esse vide-

tur, quod Pontificii passim in suis encaniis & solennitatibus dedicationis templorum hanc historiam de Zachæo tractandam ordinarint, quam appositè & quibus de causis ipsi noverint. Ego nullam video concinniorè, quam quod plerique templorum ipsorum patroni & fundatores, initio multum pecunia per scyphantiam, usuras, rapinas, per fas nefasque instar Zachæi corraferunt: postea verò vel propria conscientia facti, vel à sacrificulis persuasi majorem substantiæ suæ partem ejusmodi domui pro redimendis suis peccatis, non sine superstitione dedicarunt, & consecraverunt. Nam quod allegant illud fieri propterea: quia *hoc die domni illi salus contigerit*. Item quod ipsi conveniat: *hodie in tua domo oportet me manere*, illud frivolum est. Etenim inepte hæc à familia & spiritali domo Zachæi ad materialia templa accommodantur. Si quis autem omnino cum Zachæo Encania celebrare velit, is cum ipso ardentis studio quærat Christum, ipsum hospitio cordis sui, quod templum sacrum Domino patet, excipere desideret. Hoc templum non exornatur accensis cereis & pictis crucibus: sed si stamus filii Abrahæ vel potius filii Dei per fidem, nosque postea per omnem vitam tanquam filios Dei geramus. Hoc si fecerimus, tum salus etiam nobis contingit & nostræ domui, hoc est, liberis familiæ & toti posteritati: Si verò Encania celebranda essent cum tota aliqua Ecclesia, scias Deum non coli tum suffitu thuris, tum lampadum incensione: sed potius devota gratiarum actione pro accensa luce verbi sui & ardentibus precibus, quibus ejus conservationem pro nobis & posteritate quærimus, humili denique corde & contrito spiritu tremante sermones Dei. Talia Encania Deo grata sunt: ac propterea ipsum rogemus ut nobis quoque tale cor, quale Zachæo dedit, tribuat, quo ipsum nos in hac vita in domicilium cordis nostri recipiamus: ipse verò vicissim nos in altera vita in æterna tabernacula suscipiat.

CAPUT CXXXVIII.

CONTINENS PARABOLAM CHRISTI DE DECEM MINIS DECEM SERVIS TRADITIS.

LUC. 19. v. 11.

RATIO ORDINIS.

Dubitari potest, utrum hæc parabola de decem minis decem servis traditis, miraculis de duobus cæcis sanatis, quæ Matthæus & Marcus annotarunt: præmittenda an postponenda sit. Eo quod cæci sanati sint statim in egressu ex Hiericho, hæc autem parabola proposita dicatur, eo quod esset propè Hierosolimam. Hiericho autem ab Hierosolymis distabat 150. stadiis, hoc est, ad quinque Milliaria Germanica. Sed quia Evangelista

ipse hanc parabolam præcedentibus per hæc verba connectit, *ταῦτο, hæc*, (scilicet quæ de Zachæo & ejus domo Christus dixerat) *illis audientibus*, & *adjiciens dixit parabolam*, non decet hæc ab invicem discerpere. Maxime cum Evangelista simul ostendat, quid Christo occasionem præbuerit hunc sermonem proponendi. Nimirum crassus non tantum turbæ, sed etiam discipulorum stupor, qui *existimabant* Jesum in hac ipsa profectioe ad regiam urbem Hierosolimam, regnum suum

occu-